

- Digitalisierte Fassung im Format PDF -

Appendix

Marcello Malpighi

Die Digitalisierung dieses Werkes erfolgte im Rahmen des Projektes BioLib (www.BioLib.de).

Die Bilddateien wurden im Rahmen des Projektes Virtuelle Fachbibliothek Biologie (ViFaBio) durch die [Universitätsbibliothek Johann Christian Senckenberg \(Frankfurt am Main\)](#) in das Format PDF überführt, archiviert und zugänglich gemacht.

MARCELLI MALPIGHII

Philosophi & Medici

BONONIENSIS

È SOCIETATE REGIA

APPENDIX,

Repetitas Auctasque

De Ovo Incubato

Observationes continens.



L O N D I N I :

Impensis *Johannis Martyn* Regiæ Societatis Typographi, ad insigne Campanæ in
Cœmeterio *Divi Pauli* MDCLXXV.

I

MARCELLI MALPIGHII

Philosophi & Medici

BONONIENSIS

È SOCIETATE REGIA

APPENDIX,

Repetitas Auctasque

De Ovo Incubato

Observationes continens.

MAGNÆ SOCIETATI REGIÆ ANGLICANÆ

Marcellus Malpighius S.P.



Elebris apud Pictores mos est, *Doctissimi Sodales*, quo per-
ficiendarum imaginum graphidem, primaq; in tabulis
lineamenta, illico ac è materno phantasiæ sinu excidunt,
continuatâ intuitus irradiatione fovere abstinent, ne sta-
tim adolescant; verùm ab oculis per longum tempus re-
mota feriari jubent, donec inchoatæ prolis in artifice spe-
cies obliteretur, quam subitâ postmodum lustratione examinantes ab-
solvunt. Simile quid nobis in contemplandis Naturæ primis iconibus
peragendum; mihiq; opportunum saltem & necessarium censeo. Sicut
enim, eo temporis tractu, aberrationes, & incompta delineamenta, si
quæ in tabulis extant, illico phantasiam omnino præjudicii denudatam
movent, & ab ea (non adhuc in sui amorem obfirmatâ) severi judicii
imperio castigantur, & delentur, indeq; Naturæ magis consona depromuntur:
Ita in meditandis Naturæ tabulis, rarâ, sed repetitâ, indagine
comptiora emergunt mysteria, eliminatis antiquis conceptibus, qui
olim *Palladis* arcem occupabant. Prima igitur Pullorum delineamenta
incubatis Ovis (vobis ita consulentibus) singulo anno inquirenda mihi
proposui; quæq; proinde in postrema aggressione observare contigit,
brevibus

brevibus exarata hic habebitis, pro majori eorum, quæ aliàs innui, dilucidatione: In re enim tam obscura, in re cui optica instrumenta parum profunt, cùm usus indicaverit rationem separandi cicatriculam à vitello & albumine, exiguum subdubiæ lucis in primorum staminum indagine effulfit.

TAB. 1.
Fig. 1. In Ovo *nondum* incubato, sæcundo tamen, non absimilis ab observatis aliàs & descriptis Cicatricula aderat, quæ inter galazas collocata, medium locum inter bina Ovi cacumina fortiebatur, ejusq; naturalis magnitudo lentem non excedebat. In hujus itaq; centro circulus candidus *A*, aggeris instar, deprehendebatur, qui superiora versùs cum vesiculis *B* interdum continuari videbatur; in hoc colliquamentum *C* continebatur, in quo pulli carina *D* candidis delineata zonis innatabat, quæ in summitate quandoq; discontinuatæ apparebant; contentum verò spatium plumbei coloris icore replebatur. Carinæ extremitatem sacculus *E* obscurabat. Succedebat lata quasi fascia *F*, quæ tandem umbilicalis area evadit: Hæc partim solidâ, hæcq; subvitellinâ, partim liquidâ & fuscâ integrabatur, portione, & à colliquamenti rivulo *G* ambiëbatur, quem angularis zona candida *H* circumdabat.


Fig. 2. In Ovo, elapso *Julii* mense ab *Indica gallina* incubato, post *horas sex* cicatricula naturalem hanc fortiebatur magnitudinem *A*, in cujus centro vesicula *B* irregularibus interdum finibus terminata, diaphanoq; turgida humore locabatur. Pulli carinæ & capitis inchoamenta zonæ specie *C* emergebant, in colliquamento plumbei coloris innatantia, quod circulo *D* quasi aggere coercebatur. Succedebat lata quædam umbilicalis fascia *E*, sublutei coloris, quæ interdum foraminulis pervia, pumicis instar, colliquamento madida reddebatur, cujus ambitum rivulus *F* alluebat, & tandem candidus circulus *G* omnia continebat. In aliis, umbilicalis area






Fig. 3. *H* in icorem quasi fusa, fusca reddebatur, & plures circuli *I* interpositis alveolis *K* circumducebantur.

Fig. 4. Post *duodecim horarum* incubatum cicatricula tali pollebat magnitudine *A*, in cujus centro colliquamentum *B* observabatur cum carina, quæ candidis delineata zonis rotundum capitulum designabat, & ultra medietatem orbiculares vertebrarum vesiculas, hinc inde adstantes *C*, primò exhibebat; hujus tamen structura sacculo *D* frequentissimè velabatur. Succedebat candidus de more circulus *E*, qui exterius copioso colliquamenti rivulo *F* ambiëbatur; huic proxima extendebatur area umbilicalis *G*, quæ lato rivulo *H* alluebatur. His addebantur quandoq; plures circuli *I* taliter circumducti.



Fig. 5. In aliis cicatriculis ita incubatis simplicior emergebat configuratio in umbilicali area *K*, & ambiente circulo *L*, lato satis. Pulli carina candidâ quadam zonâ designabatur, quæ duplici excrevens tumore, capitis inchoamenta *M* indicabat, & vertebrarum globulos *N* hinc inde hærentes habebat.

Transactâ *decimâ octavâ horâ*, cicatricula hujus latitudinis *A* versùs obtusum Ovi cacumem ascendebat. In medio colliquamentum solito aggere







XV.




XVI.




XVII.




XVIII.




XIX.



XX.



XXI.



gere *B* coercitum, pulli carinam continebat, quæ de more vesiculâ *C* ob- Fig. 6.
ducebatur. Carinæ structuram diu inquisitam, talem tenere videbar.
Ex candidâ zona caput *D* designabatur, & spinæ tractus cum appensis
vertebrarum sacculis *E*; circa caput & collum, carnem *F* luxuriare non
semel videbam cum alarum inchoamentis. Succedebat lata area *G*, colli-
quamenti alveolis *H* excavata; hæc rivulo ambiebatur, qui candido erat
circulo *I* obseptus. Umbilicalis hæc area inter observandum evacuato
albumine rugosas quasdam eminentias, veluti arborum radices, exhibe-
bat, quæ vasorum speciem mihi indicabant; quoniam tamen in exsiccata
quacumq; vitelli parte parum absimiles rugosas productiones excitari
facile videbam, ideo adhuc hæret animus, an vasorum latentium rudi-
menta existant, an sicciscentis corporis rugæ. Cicatriculæ extremus cir-
culus seu zona *I*, ulteriori fermentatione in plures, hosq; disparatos, sol-
vebatur circulos *K*, quorum portiones, velut insulæ, colliquamento *L*
mergebantur.

Placebat interea, ut Naturæ methodum aliquam ternerem, carinam
fufius prosequi; & quæ variæ species, usq; ad integræ diei complementum
occurrebant, prout in re tam obscura rudibus instrumentis mihi attingere
licuit, hic exarabuntur. In Ovis itaq; minùs vegetis & infirmioribus ca-
rina taliter apparebat; geminæ zonæ, seu crassæ candidæq; lineæ *A*, in ca-
pitate parum distantes, & quasi reflexæ in posticam partem *B*, iterum ap-
proximatæ, collum *C* efformabant; mox diductæ, & quasi parallele, in
longum protractæ, carinatum spatium efficiebant, & hinc inde vertebra-
rum sacculos numero septem *D* appensos servabant; iterum tandem coe-
untes, carinæ extremum constituiebant. Quid simile miratus sum post
diem integrum incubatûs, dum zonæ *A*, parum obliquatæ, carinam con-
stituiebant. In aliis gemina concavitas excitabatur *A*, & dorsi spatium,
quod aliàs patebat, conniventibus zonis in *B* clauderetur; hoc enim fa-
miliare ipsi Naturæ sæpiùs observavi, in zonis motum adesse, ita ut suo
accessu & recessu, areæ & sinus excitarentur & tollerentur.

Elabente die sæpiùs species hæc occurrebat, qua capitis tumor *A* emerge-
bat, & diductis in dorso zonis *B*, carinæ concavitas efformabatur, quæ
spinali medullæ *C* locum præbebat, cui vesiculæ cerebri *D* appendeban-
tur; colli, capitis, & alarum *E*, productiones magis manifestabantur.
Crassæ lineæ, seu exaratæ zonæ, quæ varias designabant jam expositas ca-
rinæ species, erant extremitates & fines assurgentium quasi parietum;
in extracta etenim cicatricula, & vitro imposita, zonarum latitudo *A* Fig. 12.
occurrebat, quâ totus spinæ tractus delineabatur cum alarum *B* inchoa-
mentis. Hujusmodi zonæ non perpendiculariter elevabantur, sed in-
clinatæ, carinæ concavitatem producebant, quæ crystallino quodam hu-
more replebatur, qui interdum ita turgebat, ut continentes zonas dis-
rumperet, & areas novas excitaret.

Aliud insuper innuendum, zonas in apice *A* hiatus habere, qui quan-
doq; & temporis tractu clauderetur; hoc autem fortè natura utitur pro
colliquamenti ingressu. Nec reticendæ sunt mutationes, quæ in eadem
numero


fuccum, Vasa & Cor fortè præexistere, & sensim manifestari, ut in arborum Ovis observamus.

Auctiora sensim reddebantur singula circa horas *triginta sex* incubatûs; grandior etenim reddita cicatricula, umbilicalem aream vasculis *A* cooperatam exhibebat; reticulare opus vasorum grandioribus interdum spatiis *B*, quadoq; minoribus distinguebatur, & rami aliqui, aliàs oblique ducti, nunc aliqualem rectitudinem adepti, quasi trunci dirigebantur. Iterum suspicor, quin, ut olim innui, plexus integri vasorum umbilicalium præexistant in cicatricula, & subintrans icoris turgentia & motu manifestentur, ipsorum areæ extendantur, trunciq; erigantur, cum in plantarum Ovis gemina foliola, quæ analogæ fortasse albumini & vitello sunt, vasorum plexus, tum aeris tum alimenti, possideant. Carinæ structura talis videbatur: In capite suprema vesicula *C* plumbeo icore turgebat, reliquæ *D*, frequentius minores, diaphano scatebant humore, & contiuata medulla *E* in *F* aliquantulum dilatabatur, ut in adultis etiam observatur; caro *G* circa luxuriabat, & cor *H* parum eminebat.


Superatis *quadraginta horis*, in cicatricula evidentiores redditi venarum furculi ab extremo limbo *A* in cor productionibus *B* deducebantur, à quo umbilicalia vasa, angulum *C* efformantia, reticulares ramos promebant, nondum perpetuò in grandiores propagines distinctos. Carina in colliquamento innatabat, & circa ipsam sacculus *D* parum distans, futurus amnion, emergebat, reliquus amplior *E*, chorion erat: Pulli carina talis erat: In capite solitæ vesiculæ cerebri turgebat, quarum prima, vitrum referens, reliquis innatare videbatur: Solita zona arctior reddita, cerebrum & spinalem medullam ambiebat: Hinc inde oculi *F* locabantur: Cor *G* turgidum pulsabat eâ ratione & rythmo, pro ut aliàs descripsi, & fusiùs infra habebitur. Hac eadem horâ sacculus *H* variato Ovi situ movebatur; perpetuò enim summitatem tenere tentabat. Diu etiam hesitavi, an infra an supra carinam locaretur hujusmodi vesicula *H*, cum diaphano turgeret humore; tandem, cum ipsam in separata à vitello cicatricula nequaquam inclusam deprehenderem, in subjecta vitelli fovea locari conjectatus sum.

Postremæ observationi *Cicatriculam* addam, quæ licet *binis diebus* incubata fuisset, quoniam tamen Ovum reliquis tegebatur, & humiliori loco condebatur, ideo frigidum, dum auferretur, erat, & ignavum valde. In hac itaq; ambientes circuli *A* fracti erant, colorisq; subvitellini, & mergebantur in colliquamento *B*. In medio umbilicalis area *C* locabatur, quæ limbi *D* loco zonam albam habebat, & convexa ibidem reddebatur: Hæc reticulari vasorum opere *E* contegebatur, in quibus rubiginosus humor turgebat. Carina, solitis prædita vesiculis & corde, innatabat in colliquamento. Spatium, quod inter circulos *A* & umbilicalem aream *C* extendebatur, insignibus rivulis *F* alluebatur; in dextro enim latere veluti à tot distinctis fontibus deducebantur alveoli *G*, qui ampliores redditi sub area umbilicali ultimum sortiebantur terminum: Con-


F. 22.




F. 23.










F. 24.



F. 25.





tentus icor rubiginosus erat, & ejusdem penè naturæ ac in corde & vasis observabatur; unde pulcherrimum occurrebat spectaculum.

Subsequentibus horis usq; ad complementum alterius diei umbilicalia vasa varicosa, coloris primò sublutei, mox rubiginosi, & postremò sanguinei, reddebantur. Extractus pullus hac pollebat figurâ: Cerebri vesiculae *A*, turgidæ cum spinali medulla *B* continuabantur, quæ zonis *C*, adhuc existentibus, ambiebatur; circulus niger patenti hiatu *D* solutus oculi ambitum constituiebat & custodiebat.

TAB. 4. Post *binos dies* cicatrix lateraliter vitello hærens, sensim horizontalis fiebat, cujus naturalis magnitudo erat *A*, & in ipsius centro in colloquamento natans pullus locabatur, qui vesiculis *B*, cerebrum integrantibus, ditabatur: His cerebellum *C* cum spinali medulla *D* addebatur, quæ zonis *E* custodiebatur. Hujusmodi verò curvaturæ interdum, & varicosæ redditæ, vertebrarum sacculis hærebant. Propè extremitatem carinæ amplior reddita medulla in ovale extendebatur corpus *F*; circa collum & caput caro *G* luxuriabat, & alæ *H* pendebant; bini pariter oculi circulo *I* excitati eminebant, quo crystallini humoris inchoamentum ambiebatur. Cor evidentissimè pulsabat; nam auricula *K* receptum à venis *L* sanguinem pulsû propellebat in dextrum cordis ventriculum *M*, à quo iterum protrudebatur in sinistrum ejusdem sinum *N*; inde in arterias, à quibus in truncum, qui deorsum productus geminabatur in ramos *O*; hi, umbilicales arterias *P* prominentes, in aream producebantur, & tandem reticulari excitato plexu, in limbum desinebant, qui quandoq; quasi trunco *Q* excitabatur, quandoq; reticulari plexu ex superpositis arteriæ & venæ reticularibus implicationibus. In cicatriculis ignavioribus loco umbilicalium ramorum *P* rete observabatur cum areæ furculis continuatum; quod post *quadragesimam quartam* horam frequenter accidebat. Humor per vasa fluentis color primò subvitellinus, mox fuscus & rubiginosus, postremò ad sanguinem tendebat. Vesicula *R*, diaphano turgida humore, propè umbilicalem ramum *P* dextrum locabatur.

Triduo elapso, cicatrix parum deficiebat ab horizontali situ, ejusq; magnitudo naturalis non excedebat *A*. Pullus in ventrem jacebat, ita ut spinæ *B* tractus à cerebello *C* deductus pateret, vertebris *D* hinc inde unâ cum zonis *E* adstantibus. Cerebri cristata vesicula *F* præ cæteris emergebat diaphana, turgidaq; humore; reliquæ *G* & ipsæ manifestæ erant. Oculorum circuli adhuc patentes erant; alæ *I* extendebantur, crurumq; *K* & uropygii inchoamenta apparebant. Cor auctius erat, unde receptus ab auricula *L* sanguis à vena *M* per ductum *N* in dextrum cordis ventriculum, indeq; per *O* in sinistrum *P*, tandem in arterias *Q* propellebatur, à quibus in truncum *R*: Ab hoc erumpebant umbilicales rami *S*, qui productis furculis in limbum desinebant, reticulari efformato

mato plexu. Interdum umbilicales rami geminis finibus *T*, supra limbum inclinatis, reticulare venarum opus *V* cooperiebant. Ab extremo carinæ erumpebat venosus ramus *X*, qui cum limbo continuatus sanguinem revehebat, non dispari ritu ac in superioribus accidit. Extracti interdum cordis hanc licuit observare structuram, in qua crassior meatus à dextro in sinistrum cordis sinum apparebat circumpositâ carne *Z*. Taliter constructus pullus in arcto amnii receptaculo *Y* morabatur, quod à chorio & ambiebatur.

Fig. 34.

Fig. 35.

Post *quartam diem* longè auctior cicatricula, non adhuc ex toto horizontalis erat: Vitelli substantia valde palearis, albumenq; fufum erat. Sanguinea vasa ampla, & venę, ut plurimum, latiores, limbum præcipuè amplo trunco pervadebant, excurrente sanguine unà cum subluteo humore. In amnio pullus curvo corpore taliter jacebat: Caput præ cæteris turgebat; vesicula enim cristata *A*, quæ in geminas videbatur dividi partes, cinereâ parumq; concretâ replebatur substantiâ: Non longè in occipite secunda locabatur cerebelli vesicula *B*, parum profunda, cui subjecta erat portio spinalis medullæ *C*: In anteriori parte profundius custodiebatur *D*, & apicem binæ pariter terminabant vesiculæ *E*: Oculi cum nigro circulo *F*, & contentis humoribus, eminebant; inter hos & cristatam vesiculam sanguineum vas *G* amplum excurrerebat. Carina subcinereâ molliq; carne tegebatur, ita tamen ut vertebrarum ossa *H* parum elevarentur. Alæ *I* & crura *K* elongabantur. Non longè à capite ex hiante pectore Cor *L* erumpebat, cujus forma erat hæc: Primò itaq; sanguis ab auricula *M* propellebatur per canalem subalbum *N* in cordis dextrum *O*, à quo in sinistrum *P*, indeq; in continuatas arterias *Q*: Cordis structura carne musculosâ evidentè excitabatur. Ab abdomine umbilicalia vasa prodibant, & arteria *R* latior erat, rubicundoq; turgebat sanguine; vena verò inferior & arctior subluteo scatebat humore. Prope umbilicalia vasa vesicula *T* figebatur icore plena. Intus partium rudimenta condebantur, quæ candida & mollia rudem facculorum exhibebant speciem. Contentus in chorio humor, veluti lactis serum, igne nequaquam concrefcebat, sed excitata pellicula in bullas resolvebatur.

TAB. 5.
Fig. 36.


Quintâ transactâ die auctior erat cicatricula, & pullus in colliquamento degens curvabatur & convellebatur; ejus naturalis magnitudo erat *A*. Amplum erat caput, quod cristatâ vesiculâ *B* integrabatur; hæc filamentosâ replabetur substantiâ; huic hærebat cerebellum *C*; anteriùs geminæ eminebant vesiculæ *D*, & superiùs profundior locabatur vesicula *E*; hinc inde oculi *F* adstabant: Reliquum corporis carne tegebatur, alis *G* & cruribus *H* extra pendentibus. Patente thorace cor extra locabatur, quod ventriculo dextro *I* & sinistro *K* componebatur, superpositâ pariter auriculâ *L*. Viscera magis patebant, præcipuè Pulmones rubiginosi coloris, diluti tamen. Umbilicalibus vasis vitellum penetrantibus vitellinæ substantiæ hærebant.

Fig. 37.
Fig. 38.


Fig. 39.

Sextâ


36.




35.




37.




38.



39.




40.




41.




42.




43.



44.



45.




46.



47.





- Sextâ completâ die* albumen colliquatum erat ; umbilicalium area duas vitelli tertias occupabat. Vasorum fines *A* in limbo frequenter reflectebantur, & inæquale rete mutuâ anastomosi efformabant. Pullus in amnio crystallino cubabat : Solita aderat vesicularum cerebri structura, & amplo vase *C* cristata irrigabatur vesicula, eiq; proxima *D* obscurabatur, nec patebat nisi denudato & divulso cerebro. Rostri principium *E* emergebat. Patente adhuc thorace Cor apparebat, cujus sinister ventriculus *F* deorsum retractus, & dilatatus, consocio incumbabat ventriculo *G*, superextensâ auriculâ *H*. Interiùs jecur, renes, & pulmones magis patebant.

- Manifestiora singula reddebantur superatâ *septimâ die* : Cubabat etenim pullus in amnio *A*, quod à chorio hîc disrupto *B* ambiebatur ; nec tebatur autem chorion vitelli membranæ prope limbum umbilicalium, quæ à pullo derivata, & in amnion, chorion & vitellum *C* producta, inclinatis finibus *D* limbum efformabant. Reliquum vitelli *E* appensam servabat glutinosam albuminis *F* partem. Pullus solitâ pollens figurâ, capite & oculis constabat insignibus, & cristatæ vesiculæ *G* exteriùs fibrosâ integrabantur substantiâ ; interior verò ipsarum cavitas icore turgebat : Anteriores pariter vesiculæ *H*, curvatæ, sursum retrahebantur, sub quibus rostrum *I* pendebat ; cerebellum cum principio spinalis medullæ jam solidifactum erat. Thorax acuminatus erat, in quo levi tectum pelliculâ Cor pulsabat, in hanc redactum formam ; gemini enim ventriculi juxtâ locabantur, & sinister *K* amplior & rubicundior erat, dextra vero auricula *L* capacior. Ventriculus carnosus, cum intestinis candidus, ritè conformatus observabatur ; costulæ niveæ, & adhuc molles, jecurq; mucosum erat, oblongis glandulis constans.

Interea usq; ad *nonam diem* firmiora reddebantur viscera, & Cor solitâ gaudebat formâ : Jecur xerampelinum, glandulosis utriculis constans observabatur, qui distinctis areis, aliàs expositis, continebantur. Chorii icor, relictâ crustâ, igne in bullas resolvebatur, quod idem amnii humori accidebat.

- TAB. 6.** Post *nonam* verò *diem* pullus longitudinis *A* in amnio, quod exiguum adhuc erat, innatabat ; chorion autem auctius erat. Umbilicalia vasa, in vitello per superiorem partem producta, venosa erant, hæcque lata ; arteriæ autem arctiores, vitelli tunicam profundè penetrabant. Umbilicus *B* latus continuatâ & elongatâ cute excitabatur ; ejus concavitas *C*, ab umbilicalibus vasculis & pendentibus intestinis occupabatur. Exterior corporis habitus tumoribus *D* pro futuris pennis exasperabatur. Cerebri cristatæ vesiculæ *E*, quæ in opticorum nervorum exortum desinunt, minores & profundiores redditæ, ad latera inclinabantur : Idem accidebat anterioribus vesiculis *F*. Cerebri quoq; basis jam penè solidifacta talis erat ; anteriores vesiculæ *G* patebant, nervorum pariter opticorum exortus


exortus à cristatis vesiculis *H* in oculos incurrebat; infundibuli portio *I*, à contigua excitata vesicula, cerebri continuitatem fulciebat, & non longè spinalis medullæ principium *K* pendebat. Pedes lati *L* observantur, & rostrum osseum producebatur.

Circa *decimam diem* chorii latitudo usq; ad crassum albumen extendebatur; fusa valde erat vitelli substantia. Pullus curvo corpore jacebat, insigniter protuberantibus oculis, qui nictitante membranâ *A* muniebantur. Rostrum apex *B* osseus extuberabat; cerebri vesiculæ anteriores *C*, & cristatæ *D* solidifactæ sensim obscurabantur. Corporis habitus tuberculis *E* tegebatur. Circa umbilici exitum obducebatur labium *F*. Jecur rubiginosi coloris cum glandulis, vasis hærentibus, excitabatur, turgente bilis folliculo.


Absolutâ *duodecima die* chorion *A*, sanguineis vasculis irrigatum, paucoscatebat succo, qui igne evanescebat in bullas; necitebatur verò membranæ *B*, crassum albumen investienti, recipiebatq; sanguinea vasa *C*, venam scilicet & arteriam, ab umbilico. Succedebat pullus, amnio *D* circumdatus, quod ab umbilico *E* producebatur; ab eodem etiam derivabatur vitellus *F*, cujus laxa erat membrana, oleosam & glutinosam continens substantiam. Hæc vitelli membrana undequaq; libera erat, soloq; limbo *G*, veluti ciliari ligamento, crassiori albumini in situ *H* necitebatur: Per hanc vena *I* & arteria *K* ramificabatur usq; ad limbum. Crassum albumen *L* diaphanum propriâ donabatur tunicâ, & venas & arterias umbilicales recipiebat. Umbilicus *E*, quasi intestinum, laxatâ & tubulosâ cute componebatur, & intestina *M*, foràs erumpentia, aliaq; insuper sanguinea & varicosâ vasa continebat. Exteriùs plumæ erumpebant *N*. Cor hanc speciem præ se ferebat; protuberante ventriculo sinistro *O*, superpositis auriculis geminis, dextra inquam *P*, & sinistra *Q*. Jecur, debitâ constans formâ, vesiculam, viridi turgidam bile, appensam habebat, cujus portio in carnosum ventriculum deducebatur.

Decimâ quartâ elapsâ die, pullus flexâ carinâ in amnio *A* innatabat, quod gracillimis & penè inconspicuis vasculis irrigabatur: Ejus succus adauctus, veluti sanguinis serum, concresebat. Circumlocabatur vitelli moles *B*, cui hærebat crassius albumen *C*; hæc omnia chorii tunicâ *D* ambiebantur: Per hanc producebantur sanguinea vasa, quorum amplum *E*, ab umbilico emergens, tortuosum & varicosum redditum, ramos *F* progignens, in reticulare opus desinebat: Proximè alterum excurrere vasculum rubicundius, easdem ramificationes sortitum. Alia pariter sanguinea vascula *G*, ab umbilico exorta, graciliora, inter exaratas productiones *F* propagabantur. Pulli habitus totus ferè plumis contegebatur. Ungues & rostrum solidam acquisierant


LVII.




LVIII.




LX.



LXI.



LIX.



naturam. Interiùs pulmones subalbi; ventriculus carnosus, auctus, lacte replebatur; intestina extra in umbilico pendebant; fellis vesicula, ad cæruleum tendens, jecori appendebatur.

- Subsequentibus diebus singula firmabantur, & sensim chorii humor absorbatur, qui igne frequenter non concrebat; amnii verò humor tenuis & diaphanus in candidam interdum sapidamq; coquebatur substantiam. Umbilicus carneus, crassefactâ cute, extra pendula intestina cum sanguineis Vasis continebat. A vitelli tunica in tenue intestinum brevis meatus aperiebatur. Vas sanguineum, quod altè penetrabat vitellum, relictâ ejusdem tunicâ *A*, insigni ramo *B* pendulum, vitelli profunditatem occupabat, & reticularibus productionibus *C* eidem tunicæ *A* necebat; reliquis verò *D*, in fluida oleosaq; substantia vitelli mergebatur. Circa hujusmodi reticulares ramos *C* & *D* pinguedinis sacculi *F* hærebant, qui venæ ramulis irrigabantur. In chorii cavitate Allantoides tunica sensim manifestabatur; levissima etenim mucosaq; extendebatur bicornis membrana, in modum sacculi, & subalbam candidamq; continebat urinam, quæ interdum filamentosa, reticulare opus efficiebat; hujus exortus postremis diebus præcipuè patebat. Ventriculus cum continuatis intestinis solo turgebat lacte. Jecur postremò, ex rubiginoso subluteum acquirebat colorem, & bilis cærulea erat. Cerebrum jam solidifactum in superiori parte nervorum opticorum radices *A*, graciliores redditas, anteriores ventriculos *B*, cerebellum *C*, & principium spinalis medullæ *D* exhibebat; in basi verò, ultra exarata, infundibuli regio affurgebat.

- TAB. 7.** Transactâ *decimâ nonâ*, chorii substantia *A* crassior reddita, quasi carnea, exiguum continebat humorem, ejusq; concavitatem Allantoides tunica *B* ferè ex toto occupabat, mucosâ referta urinâ *C*. Pullus calcitrabat, amnio *D* contentus. Umbilicus *E* amplus erat, & turgidus ex retracto interiora versùs vitello *F*, & ab ipso, amnii *D* tunica in situ *G* producebatur. Intra umbilicum, ultra sanguinea Vasa, intestina mesaraicis irrigata condebantur.

- Vigesimâ completâ die*, Ovi cortex de facili friabilis erat; crassum item chorion, & ferè sanguineum, non tamen fibrosum, & succo undequaq; vacuum, solaq; Allantoides tunica *A* continebatur, quæ urinæ stiras *B* reticulariter ita ductas & implicitas ut naturæ mysterium crederetis, includebat; & tandem versùs umbilicum *C* deducta, & ventrem subingressa, efformato Uracho *D*, in extremum intestini *E* hiabat. Vitelli corpus in ventrem retractum exteriorem abdominis formam *F* excitabat. Jecur perpetuò lutei coloris erat, quasi vitello turgeret; ejus verò fel cæruleum, materia in carnosio ventriculo & tenuibus intestinis contenta lactea erat.

Postremò

Postremò pullus propè exitum pipiebat, & interdum ictu rostri friabilem urgebat corticem; ejus venter *A*, turgidus & ferè rotundus ex condito vitello reddebatur; scissura tamen *B* observabatur ex retracto umbilico, à quo Urachus *C* & umbilicalia Vasa *D* prodibant. In aperto pullo vitellus *E* hujus magnitudinis, intestinis *F* brevi ductu *G* continuabatur; hæc à carnosò orta ventriculo *H*, versùs extremitatem cæcales appendices *I* promebant, & dilatata sui portione cloacam *K* efficiebant, à qua erumpebat Urachus. Vitelli substantia viscida & oleosa erat. Jecur adhuc luteum præ se ferebat colorem.

Fig. 60.

Fig. 61.

Hæc sunt quæ Vobis imperantibus in tam profundo naturæ mysterio anniversariâ hac aggressione visus sum attigisse, quæ licet rudi meâ delineata manu, incomptoq; exarata stylo extent, pro integro tamen animi voto penes Vos erunt, & fortasse ulterioribus subsequentiæ annorum firmata observationibus, naturæ normam in ducendis primis pulli staminibus adumbrabunt.

Dabam Bononiæ die Octob. 1672.

F I N I S.

EPISTOLÆ
quædam circa has
De Anatome Plantarum
Auctisq;
De Ovo Incubato

Observationibus Dissertationes &c.

ULTRO CITROQUE SCRIPTÆ.

I.

Clarissimo viro

Domino HENRICO OLDENBURG
Societ. Reg. Angl. Secr.

MARCELLUS MALPIGHIIUS salutem.



Plantarum * Anatomem, cujus in indagine me jamdudum
insudasse aliàs te monui, tandem in actuariolum informe con-
gestam hîc habes, Vir clarissime. Hanc (si tantorum viro-
rum congressu non indignam agnoscas) Regiæ Societati meo
nomine exhibeas, rogo, ejusq; sincerum mihi aperire sensum ne
renuas. Si enim supervacaneos meos judicaveritis labores,
corpus aegritudinibus perpetuò fessum conquiescere sinam: At si non omninò in-
utiles judicaveritis, reliquum vitæ in his perficiendis insumam, prout mentis, cor-
poris & fortunæ tenuitas permittet. Aliam observationum seriem quamprimum
transmittam. Diu vivas, & mea studia fovere ne desinas.

* Hec est dia-
tribailla, que in
hoc libro, Plan-
tarum Anato-
mes Idea voca-
tur; quatuor
circiter abhinc
retro annis huc
transmissa.

Dabam Bononiæ Calend. Novemb. 1671.

D

II. Celeberrimo

II.

Celeberrimo viro

Domino MARCELLO MALPIGHIO
Philosopho & Medico Bononiensi

HENR. OLDENBURG Sal.

Scriptum illud tuum, Anatomes Plantarum Ideam complectens, quod Amplissimo Regis nostri apud Venetos mandatario huc transmittendum commendaveras, ritè mihi traditum, tuoq; nomine Societati Regiæ exhibitum fuit. Cum illa partem ejus sibi prælegendam curasset, indeq; Argumenti intellexisset dignitatem & momentum, mox secum reputavit, altioris indaginis rem esse, quam quæ publicâ ejusmodi festinaq; lectione posset pro merito expendi. Consultum proinde judicavit, more suo uti, & Exercitationem hanc tuam Sociorum suorum nonnullis, talium imprimis rerum studiosis gnarisq; privatim per otium evolvendam excutiendamq; committere. Interim mihi in mandatis dedere, ut dum eruditi illi viri Commentationem hanc tuam enucleatum irent, sine mora tibi significarem, permagnâ se animorum lubentiâ munus hoc tuum Philosophicum esse amplexatos, daturosq; operam, ut magis magisq; prolixam suam in te benevolentiam, paremq; de egregiis studiis tuis æstimationem persentiscas. Etenim abunde jam palam fecisti (quod pronâ mente agnoscimus) dignum te esse, qui prima inter ritè philosophantes subsellia occupes, quiq; reconditioribus Naturæ penetralibus rimandis atatem absumas. Ea profectò, quæ hæctenus è scientiæ tuæ penu deprompsisti, talem suo jure inter doctos plausum meruere, ut animos inde sumere omnino possis, meditationes & studia dua, hancq; imprimis de Plantis diatribam, citra eam quam ipsa præ se fert hæsitationem, probehendi.

Quamprimum Socii illi nostri, quibus id pensi datum Anatomem tuam evolvendi, suam de ea sententiam exposuerint, officio meo non deero, eam tibi sine fuco perscribendi.

Hoc interim celare te nolim, Vir Præstantissime, quendam è Societate Regia Virum Medicum nostratem, * idem illud Argumentum tractandum suscepisse, quinimò eâ ipsâ horâ (quod fortè miraberis) quâ scriptum tuum à me proferebatur, libellum suum Anglicè jam editum laudatæ Societati exhibuisse; in quo Plantarum Anatomem tum ab ipso arcessit Semine, tum, singulis earum partibus earumq; Vegetandi ratione consideratis, cum Semine claudit.

Animus certè est, primâ occasione hunc tibi Tractatum nave Liburnam velificaturâ transmittere, cujus Interpretem Anglicum in Urbe vestra te non difficulter nacturum confido. Persuasissimum sanè habeo, binas has Exercitationes, utut methodo elaboratas discrepanti, eum apud sagaciores Philosophos locum esse inventuras, ut uberem exinde Vegetationis argumento lucem illatam esse sint existimaturi, uberio-remq; adhuc illatum iri, si tu & concivis hic noster certatim porrò materiam hanc eâdem, quâ cepistis, curâ excolere pergatis, alijsq; viris solertibus ansam hoc ipso præbeatis, sua quoq; meditamenta & symbola in rem eandem conferendi. Vale, & me tibi addictissimum crede.

Londini d. 14. Decemb. 1671.

III. Clarissimo

* Doct. Nebe-
mias Grew.

III.

Clarissimo viro

Domino MARCELLO MALPIGHIO

Phil. & Med. Bononiensi.

HENRICUS OLDENBURG Felicitatem.

Significaveram Tibi, Vir Celeberrime, per literas 14 Decembris ad Te datas, Soc. Regiam Scriptum tuum de Anatomie Plantarum nonnullis cætûs sui Sociis perpendendum commississe: Insimul pollicitus, me virorum illorum, quibus id pensi fuerat impositum, sententiam suo tempore candidè perscripturum. Hujus itaq; Epistola non aliud erit argumentum, quàm ut datam Tibi fidem liberem. Scire igitur Te velim, Philosophos illos nostros, rerum in Exercitatione illa tua traditarum perquàm callentes, ad unum omnes statuere, Te & subactò judicio & eximîâ curâ rem propositam tractasse, eamq; omninò mereri, quæ in lacum publicam quàm maturrimè emittatur. Dabis igitur operam, Vir Doctissime, ut nostram, & aliorum, quibus hæc res longè lateq; jam innotuit, expectationem, quamprimum fieri id possit, impleas, eoq; ipso manifestum facias, hanc Naturæ partem uno hoc seculo amplius multò solidiusque, quàm cæteris omnibus prægressis, quantum quidem nobis constat, excultam fuisse.

Promissi memor sum, quo me nuper ad Libri de Plantarum etiam Anatomie, à Medico Anglo perdoctè concinnati, transmissionem obstrinxi. In eo sum, ut de nave exquiram in oras vestras profecturâ; quâ occasione & plura fortè perscribam, quæ ad rei Philosophicæ incrementum facientia in his oris geruntur. Vale, & me tuum ex asse crede.

Dabam Londini d. 18. Januar. 1672.

IV.

Clarissimo viro

Domino HENRICO OLDENBURG

Reg. Soc. Angl. Secret.

MARCELLUS MALPIGHIIUS S. P.

Doctissimorum Virorum sensum, quibus placuit Exercitatiunculam de Plantis evolvere, tuis humanissimis literis percepi. Parem in tam egregiis viris agnosco cum sapientia humanitatem, qui licèt Naturæ abdita impenetrabilia sciant, indagantium tamen vel minimos non aspernantur conatus. Peravidè exspecto præclarissimi vestri Medici promissum de Plantarum Anatomie librum, in quo propositam materiam tam doctè & dilucidè examinatum me reperturum spero, ut meos omninò supervacaneos fore labores putem. Interim, in languidi corporis & animi solamen Observationes prosequar, prout mentis meæ tenuitas permittet.

Alter jam excurrit mensis, ex quo tibi Observationum actuariolum circa Incubata Ova transmisi, ut Consociorum placitum circa rem tam obscuram exploratum haberem; quod tuâ intercedente humanitate me consecuturum non ambigo. Tu, ut soles, me ama, diuq; vale. Dab. Bononiæ d. 15. Martii, 1672.

V. Clarissima

V.

Clarissimo viro

Domino HENRICO OLDENBURG

Soc. Reg. Secretario,

MARCELLUS MALPIGHIUS Salutem.

Pullorum generationem in Incubatis Ovis iterum elapsâ æstate observatam, & in ætuariolum redactam, ad Te transmittere placuit, ut studiorum meorum, qualiacunq; sint, normam habeas. Rude igitur hoc compendium inter otium percurras; idque, si non indignum Regiâ Societate censeas, meo nomine ipsi exhibere ne graveris. Scio, perpetuis & gravioribus curis Socios adeò detineri, ut in evolvendis Annuarum Observationum inconditis his studiis omninò tempus non vacet.

Jam accuratissimam Plantarum Anatomen præclarissimi viri Domini Grevii transmissum accepi, & pro tanto munere debitas tibi gratias ago. Doctissimam opus, amici ope, in Latinum versum præ manibus habeo, & licet pleraque, ob minus exactam Interpretis peritiam, mentem meam fugiant, præcipua tamen Authoris inventa tenere me puto. Gaudeo interim, me cum Accuratissimo Viro in quamplurimis observationibus & placitis convenire; reliqua autem, in quibus intercedere aliquid diversitatis videtur, ulteriori institutâ indagine solertiùs examinabo, ne, quæ tanti viri aciem effugere, illusionem quadam languidæ meæ imponant phantasiæ. Vidi in laudato opere varias Authorum circa Flores, Spinas, & Folia, indicari sententias. Libenter scirem, an hujusmodi jam typis edita fuerint. Valeas interim diu felix. Dabam Bononiæ die 8. Octobr. 1672.

Responsum ad literas binas proximè prægressas annexum vide *Dissertationi Epistolica de FORMATIONE PULLI in OVO*, à Malpighio nostro ad Reg. Societatem scriptæ, & Londini typis mandatæ à Job. Martyn A. 1673. Vid. ibid. p. 40. & seq.

VI.

Clarissimo viro

Domino MARCELLO MALPIGHIO

Phil. & Med. Bononiensi.

HENR. OLDENBURG. S.

Magnopere gaudet Regia Societas, dum intelligit, tua Te studia circa Plantarum Anatomen jugiter prosequi. Indefessum habebis, ni fallor admodum, laborum tuorum comitem Doctissimum Grevium, cujus alterum de isthoc argumento Tractatum prælo brevi exiturum speramus. Continet ille totius hujus Operis Anatomici Ideam, latè profectò patentem; subjectis quibusdam de Radicibus Plantarum Observationibus, quas Tibi non displicituras existimem.

Accepimus, celeberrimum Mengolum Tractatum edidisse de Auditu, Sono, & Musica. Ægrè sanè ferimus Bibliopolarum incuriam, quâ solâ evenit, ut virorum doctorum studiis & laboribus nimis serò fruamur. Est hîc Anglus quidam, in Musica tum theoretica tum practica apprimè versatus, cui consilium est, integrum
synagma

syntagma musicum in lucem emittere. In votis proinde habet quàm maximè, Mengoliani operis copiam sibi fieri, cujus voti quàm possit ratione compos reddi, equidem non video.

Prælo mandata jam sunt Illustrissimi Boylii Exercitationes & Experimenta de Effluviis, de Ponderabilitate Flammæ & sim, quæ suo tempore, commodam occasionem nactus, ad Te transmittam. Jungam iis, quæ Doctissimus Willifius de Medicamentorum in Humano corpore operationibus imprimenda jam curat, reliquis ipsius laboribus, ut audio, nequaquam cedentia.

Spero, Excellentissimum Finchium, qui non ita pridem hinc in Italiam discessit; Exemplaria ipsi concredita brevi ad Te curaturum; Equitèmq; Higgenium, qui paucos intra dies Venetias contendet, alia nonnulla, Tibi haud ingrata futura, superadditurum.

Accepimus, nec Gallos Philosophos sibi deesse in scientiis augendis ornandisq; Hugenius nuper edidit Tractatum de Pendulorum motu, ad Horologia aptato. Mariottus Diatribam de Percussione & de Libella: Picardus, de mensura Terræ: Claudius Millet de Chales, Elementa Mathematicè tractata, Terram scilicet, Aquam, Aerem & Ignem. Alii alia parant, de quibus sine dubio propius edoceberis. Vale, & me Tui studiosissimum amare perge.

Dabam Londini d. 7 Junii, 1673.

VII.

Celeberrimo viro

Domino MARCELLO MALPIGHIO

Phil. & Medico Bononiensi,

HENRICUS OLDENBURG *sal.*

Compluribus abhinc retrò mensibus, triginta ad Te expediui Dissertationis tuæ de Ovo Exemplaria, typis Londinensibus edita; Illustrissimiq; Boylii egregiam de Gemmis Diatribam adjunxi. Curam eorum suscepit Excellentissimus Regis nostri ad Portam Ottomannicam Legatus, Dominus Finchius, qui terrâ hinc in Italiam profectus solenniter mihi pollicebatur, operam se daturum, ut ad manus tuas Exemplaria illa ritè pervenirent. Ex eo tempore, Siculo cuidam, Paulo Bocconi, insignis Botanici famam adepto, librum, Anglicè à Cl. Grevio nostro pronuper editum, Tibi perferendum tradidi. Tractat ille de Radicum imprimis structura, deq; Vegetandi ratione; præmissâ suâ circa Historiam Phytologicam Ideâ; quorum omnium nullam Tibi partem displicituram reor. Anthor ipse ad Te scripsit, sibi; responsum, quàm primum commodè à Te parari id poterit, pollicetur.

*Identidem ex me sciscitantur nostrates, quando tandem Commentarium tuum de Plantis, cujus prima schediasmata penes me asservo, in lucem emittere velis. Si auscultare libeat Amico, tui & honoris tui studiosissimo, suaderem utique, ne rem istam diutiùs premeres. Amplissimus noster Higgenius, ad Rempubli-
licam Venetam Ablegatus dignissimus, qui hasce literulas ad Te curabit, operam*

E

daturus

daturus est, ut quæ de Argumento illo ad ipsum perferenda dederis, tutò ad me expediantur. Vale, vir optime, & si placet, quantociùs rescribe.

Dabam Londini d. 16. Martii 1674.

VIII.

Eruditissimo viro

Domino HENRICO OLDENBURGIO

Reg. Soc. Angl. Secret.

MARCELLUS MALPIGHIIUS Salut.

Mensis jam elapsus est, ex quo Anatomiam Plantarum cum Iconis suis capsulâ conclusam ad Ill^m D^m Ablegatum, Venetiis morantem, transmisi, ut Tibi tutâ & opportunâ occasione reddatur. Tuis epistolis adeò me sollicitatum vidi, ut imperfectum, necdum absolutum, Opus transmittere decreverim. Plura enim de Seminum Vegetatione, Gallis, Radicibus, & Spinis delineanda mihi supersunt. Hæc interim libens recipies, solitâq; humanitate studia hæc fovere non dedignaberis, mihiq; Sociorum, aliorumq; Literatorum sensum liberè aperire, ut mens mea, aliorum monitis cautior reddita, in reliquorum indagine rectiùs incedat, vel quiescendo errandi occasionem evitet.

Doctissimi Grevii librum de Radicibus &c. libentissimè viderem; quare, si commoda tibi occasio se offert, exemplar ad me transmittas, quæso. Vale, & solitâ tuâ humanitate mihi favere ne desine.

Dabam Bononiæ, d. 17 Septem. 1674.

IX.

Clarissimo viro

Domino HENRICO OLDENBURGIO

Soc. Reg. Secretario,

MARCELLUS MALPIGHIIUS Salutem.

Librorum fasciculum, Domino Vernoni traditum, Nobilissimi Laurentii Magalotti operâ nuper recepi, & elegans Illustrissimi Boylii actuariolum summa cum lubentia perlegi. Ingeniosum pariter Cl. Willifii librum præ manibus habeo, in quo permulta digna invenio, & sensibus consona; præcipuè verò Fibrarum Carnearum contextum circa Arterias, quem non semel in Aorta, præcipuè Bovis, rimatus sum. Pro his igitur, & tuâ in me perennanti benevolentia, eximias reddo gratias. Plures epistolas (& fortasse libros) ad te datas intercidiſſe video, & præcipuè Domini Mengoli librum de Anno, Ministro cuidam Exc^{mi} Legati vestri, elapso anno Londinum profecti, commissum. Plura etiam, Amplissimi Dodingtoni ope transmissa, ad tuas devenisse manus non audio, sicut nec postremas meas litteras, quibus exemplaria de Ovo me accepisse innuebam. Doctissimi Grevii Epistolam, ejusdemq; librum Domino Bocconio traditum adhuc desidero, & reliqua tanti Viri, quotiescunq; luce fruentur, pergrata mihi sunt futura.

Sextus

Sextus jam excurrit mensis, ex quo Exc^{mus} Ablegatus, Venetiis morans, Anatomiam Plantarum cum Iconibus recepit, ut tutâ occasione ad Te transmitteret. Hanc tamen Tibi redditam fuisse necdum accepi. Valeas, quaq; soles humanitate & amore me prosequi ne desinas.

Dabam Bononiæ d. 5. Februarii, 1675.

X.

Clarissimo viro

Domino HENRICO OLDENBURGIO

Societ. Reg. Angl. Secr.

MARCELLUS MALPIGHIUS salutem.

EN Tibi, Vir Clarissime, Plantarum Anatomies pars potior, unâ cum promissis Iconibus, seriùs quàm destinaveram transmissis, ita cogente adversâ meâ & aliorum valetudine. Invitus enim perpetuò agrorum curationibus adsum, unde corporis & animi robur enervatur. Hanc igitur de Plantis Exercitationem, si lubet, Regiæ Societati meo nomine humillimè offeres. Mibi sat fuerit in hoc solùm demeruisse, quòd in re tam ardua tantorum Virorum mandatis obtemperare volui. Si fortè Exercitatio hæc, Sociorum judicio, luce fruatur, exoptarem, ut transmissa olim Epistola, * cujus exemplar hîc denuò insertum habes, typis unâ ederetur.

Hæc epistola, ut patet, scripta fuit ante proximè prægressam, sed per mare unâ cum ipso scripto Botanico transmissa fuit.

* Hæc ea est, quæ in hoc libro Anatomies Plantarum idea vocatur.

Scio plura irrepsisse errata, quæ tuæ mibi perpetuò faventis benevolentia ope delenda venient. Reliqua circa Gallas, Vegetationem, & Radices, cùm omnes icones necdum sint in promptu, in aliud differo tempus.

Doctissimi Domini Grevii liber nondum ad meas devenit manus, cùm D. Bocconius adhuc in Belgio moretur. Libenter ipsius meditationes & observationes admirabor, mibiq; pergratæ erunt epistolæ, quas eum ad me dedisse asseris.

Exercitationis circa Pulli in Ovo generationem transmissa exemplaria triginta, favore Excellentissimi Equitis Finchii elapsis mensibus recepi, tibiq; interim quas debeo gratias rependo. Famigeratissimi Domini Boylii librum novissimè acceptum necdum mibi licuit attentè perlegere, ipsiusq; inventis perfrui; ingentem tamen Experimentorum Inventorumq; sylvam conspicio. Vale.

Dabam Bononiæ d. 20. Augusti 1674.

XI.

Celeberrimo viro

Domino MARCELLO MALPIGHIO
Philosopho & Medico Bononiensi

HENRICUS OLDENBURG *Felicitatem.*

Temperamentum letitiæ meæ vix inveniebam, quando post expectationem quinque-mestrem, anxiasq; , ob infidi maris discrimina, mentis agitationes, preciosum tuum munus Philosophicum manibus meis incolume tradebatur. Eodem die (Januar. scil. 28. 1675.) quo mercator Londinensis datam de eo reddendo fidem liberabat, Ego Societati Regiæ, cætum publicum tunc celebranti, idipsum exhibebam. Illi, lustratâ thesauri hujus præstantiâ , tot tamq; egregiis Iconismis condecoratâ, unanimes decrevere, tum ut summas ipsorum nomine gratias Tibi remitterem, tum ut Opus ipsum typis ac fieri posset elegantissimis mandatum, toti orbi Philosophico quantociùs exponerem: Adhæc, vota adjecere flagrantissima, ut reliquum, quem innuis, ingenii tui felicissimi de Vegetatione proventum illibatâ valetudine perficere tibi concedatur.

Voluissem sanè, Vir Clarissime, hanc, quæ injuncta mihi nunc est, Encomiastæ tui provinciam, alii fuisse demandatam, qui clariore calamo dignum tuis meritis Elogium dixisset, eâq; ratione luculentos accendende virtuti ignes subjecisset. At quia sic jussere, quibus refragari nefas ducebam, id solummodò dixerim; Exterorum, quod sciam, neminem magis genuinum se Regiæ Societatis Alumnium præstare, aut feliciori ingenio majorive industriâ ad nominis sui immortalitatem contendere.

Cætera, hoc Tecum expendas velim, quod si tam præclara æstimantur, quæ hæcenus per partes edidisti, quid futurum sit, si quæ de hoc argumento elucubranda Tibi supersunt, pari eruditione & ære ad adornare satagas, adeoq; ex omnium nexu & complexione consummatum opus in publicum emittas? Micabit id opus fulgentissimè, ac famæ nunquam intermorituræ decus certò certius Tibi conciliabit, totiq; penuri Philosophico augmentum locupletissimum adjiciet. Vale, Vir Naturæ Consultissime, & Naturæ abdita penetrare gnæviter perge.

Dab. Londini 8. Id. Febr. MDCCLXXV.

F I N I S.

ERRATA.

Pag. 4. Anatomie Plantarum, l. 26. leg. sensim pro seni, p. 10. l. ult. leg. igitur ut plurimum, p. 25. l. ult. leg. Rosarum
p. 41. l. 9. leg. geranio, p. 47. l. 34. leg. ultra, p. 62. l. 26. leg. filtratione, p. 71. l. 29. leg. appenduntur, p. 72.
l. 20. post v. exorti dele comma. Pag. 7. De Ovo Incubato, l. 37. leg. repiebatur. Epist. II. l. 22. leg. studia tua. Ep. III.
l. 13. leg. lucem publicam, Ep. V. l. 14. leg. transmissam.